Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1708) Lesez 1408

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decima-tertia Novembris

M. STEPHANO BACHOT, Doctore Medico, Præside.

Est-ne Phlebotomia omni ætati omnium magnorum morborum princeps & universale remedium?

HOMO cùm nascitur, in vitam tanquam in palæstram ingreditur, ubi quamdiu vivit infinitorum penè ac diversorum morborum grandine verberatur, ut nihil aliud sit diu vivere, quàm diu torqueri. Unde Thraces haud ineptè quondam homines prodeuntes in lucem lacrymis, abeuntes effusissimo gaudio prosequebantur. Noverant enim cordatissimi illi populi vitam aliud nihil esse quàm periculosam navigationem, juxtà vetus illud hemistichium πλοῦς σφαλερὸς τὸ ζῆν. Undique homini viventi parantur insidiæ, ut quibus vita carere non potest, eadem ipsi perniciem creent, neminem illæsum fata transmittunt, & ab ipsis mundi natalibus ad hunc usque diem vix τριῶν ἀπευθήτων ὀνόματα reperias: & in eo deflendus homo est, quod ei non liceat gratis & impunè vitâ excedere: Adeò verum illud divini senis effatum: hominem ab ipsis incunabulis ad ultimam usque vitæ lineam totum esse morbum.

EXCLUSUS uteri latebris, & inimicâ luce potitus, fit statim morborum omnium scopus & præda, ut nulla sit illius ætas quæ morbos suos non habeat. Infantis & adhuc Vagientis achoribus Vertex fœdatur, caput hydrocephalo gravatur, diffluunt aures cerumine, aphtis insuetum cibis os finditur, pulmonem tussis ferina dilacerat, vomitus ventriculum subvertit, alvum cruciant tormina, mentem pavores & vigiliæ conturbant. Dentes erupturiunt? convellitur infans, quibus accedit febris, & alvi fluor. Grandiorem jam factum pungunt lumbrici in intestinis geniti, calculus vesicæ discruciat, nullo comminuendus λιθοντρίβῳ, phtisis exedit. Nec suis dumtaxat morbis obnoxius vivit, sed & alienis & hæreditariis, vix ullo medicæ artis auxilio debellandis patet, ut sæpè delictorum parentum pœnas immeritus luat, nec minùs morborum quàm paternorum bonorum hæres fiat.

VIRILIS ætas patitur morborum omne genus; sed frequentissimè febrem, quâ nulla non corripitur ætas, quæ si in hecticam fortè degeneret, quod sæpè fieri amat aut medentium imperitiâ, aut incautâ victus lege cubantium; In eam nihil licebit, neque futilibus agyrtarum granulis, ac pulveribus, neque auro, si Diis placet, potabili, ad aucupium crumenarum ficto, sed in unâ analepsi præcipua curationis spes est collocanda, fit & sæpè morborum malignorum particeps, in quorum censu venenatas illas & pueris valde familiares papulas reponimus, Hippocrati & Galeno medicinæ Principibus ignotas, ex residua sanguinis menstrui portione genitas, quibus præcavendis appensus collo hydrargyrus, aut armillus purpuraceus brachio circumpositus, meræ sunt nugæ, & anilia deliramenta; quarum curationem si ritè velis instituere, venam postmodùm seca iterum atque iterum, etiam erumpentibus non benè papulis, quicquid obstrepant imperiti aut assidentes mulierculæ, illud enim verum est & genuinum alexiterium, quod vel lactentibus qui negat, necat.

MAGNIS etiam morbis ultima ætas adfligitur, inter quos nullus est, cui Phlebotomia non sit præsentissimum remedium, ut ipsi etiam Casnares, & Depontani, acutè si febriant, eam admittant. Æstuat aliquod viscus princeps? pulmo amburitur? validi dolores excruciant? lancinat colicus dolor; dirus crescit hydrops? Tu ne cede malis, sed potiùs tot morborum ac symptomatum retia & nodos uno Hippocratis ense rescinde. Hâc ratione tu te etiam ab omni pleuritide, & ardentissimâ febre expedies, si in illâ sanguinem ad coloris mutationem ἢ κατ' ἕξιν; in hâc ad animi deliquium aliquando profundas. Hunc vitæ thesaurum esse & naturæ prædium rudis exclamabit hæmophobus, Verùm & thesaurum expendisse quandoque haud malum est, dum vitam redimas. Hoc uno si defraudentur ægri præsidio, vel ad necem trahuntur præcipites, vel si forte naturæ nisu salvantur, in longas tandem ac difficiles ægritudines transeunt, quartanam scilicet, stibio non attingendam, duros lienes, quibus molliendis imposita securis acies, haud securum est, sed insolens plane & crudele præsidium, malum habitum, aquam intercutem, & alia permulta, quibus avertendis una sufficiebat epaphæresis turpiter prætermissa.

INTER affectus qui homines de mediô tollunt, nulli celeriùs acutis; quorum alii calidi, alii frigidi: utrisque medetur venæ sectio. Apoplexiæ, quæ est ὅλου τοῦ σώματος παράλυσις, & cui magis sunt præpingues obnoxii, quàm graciles, nullum est remedium ipsâ phlebotomiâ præsentius atque jucundius; frangit & vim herculeam affectûs epileptici, cujus τὸ ἐπιληπτικὸν puerilis ætas, ut pubertas τὸ ἀπαλλακτικόν. Spasmi quoque curationem à missione sanguinis auspicari medicus debet, priusquàm de catharsi cogitet, quam qui in acutô aut magnô morbô phlebotomiæ præponit, operam ludit, imò lædit, & carnificem agit, non Medicum. Uno verbo, si rectè calculum ponas, nulli fere non morborum generi phlebotomia præsto est. Sed ea est nostrorum temporum infelicitas, ut de principe remedio coram viris Principibus loqui jam piaculum sit, solique medici χαρίεντες legitimam hanc per Phlebotomiam curandi morbos rationem calleant, non plebei non gregales & proletarii Medici, non Empirici, qui ignavi nimis & ignari in locum τοῦ ἡγεμονικοῦ vesicantia, frictiones, spiritus, sales volatiles, syrupos tartareos, extracta, quintam, quod vocant, essentiam, ac cæteras hujusmodi remediorum quisquilias magno ægrotantium damno præscribunt.

Est ergo Phlebotomia omni ætati omnium magnorum morborum princeps & universale remedium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Daquin, Medicus Regis perpetuo ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.
M. Petrus Yon.
M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius.
M. Tussanus Fontaine, Professor Regius.
M. Franciscus Pajot.
M. Nicolaus Richard.

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS-JOANNES-BAPTISTA DODART, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.